



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

II. Concilium Pauli IV. Pontificis morte retardatur Mauritij & aliorum artes
ad disturbandum Concilium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

Nova Legis ut id *Torgæ* ordinibus exhiberetur approbandum, audacissime concinnatores Lipsiaci Interim, & dictis vehementissimis & libro exarato aggressus perculit, ita ut mandatum à Principe exequi non fuerint ausi. Quod factum cum Elector intellexit, indigne quidem tulit, sed is sese suorum mancipiorum ministrum nimium sæpe declarauerat, itaque & illos qui *Torgæ* ad fuerant, & alios ditionum suarum superintendentes & pastores ad r. Maij Grimmam per literas euocauit, ubi Ordinatio suo iussu conscripta, & promulganda prælegeretur, quod factum est; approbatoque volumini *Novæ Legis*, adiectum est mandatum ad sacras & magistratus de exequendo 2. Augusti, sed hanc ordinationem, uti & Magnam Parvumque Interim Lipsiensium Flacciana factio Zelotarum seu Rigidorum Lutheranorum mordaciter insultando per ludibrium & *Alcoranum* & *Pontificale Romanum* aliterque appellitare non cessabat, & ad ciuile inter ipsosmet prædicantes Lutheranos ventum est bellum, quod deinde nunquam restingui potuit, Iusto Dei iudicio, ut qui primo ab Ecclesia Catholica deinde à Cæsaris pia voluntate deflexerant, male, inter se pessimis discordijs discinderentur, & mundo manifestum facerent Ecclesiam à Luthero fundatam esse regnum in se ipso diuisum & desolandum, post quinque apocalypicos menses, (a) quibus eis esset indulgentum, ut habentes signum Dei in frontibus suis Catholicos cruciarent. (b)

II. Dum hæc in Germania gereretur Paulus III. Pontifex, senio confectus (duobus enim annis octuagenario maior erat) ex hac vita decedit An. 1549. IV. d. Nou. (c) Ei successit fuit An. sequenti Cardinalis Montanus, qui Legati ad Concilium Pontificij munus gesserat; mutato, ut moris est, nomine, Iulius III. deinde dictus. Pontificis obitus Conciliū, ac præsertim illā de loco eius habendi quaestionem diu suspensam tenuit: quod Cardinales ad electionem noui Pontificis Romam concessissent, Episcopus interea partim Tridenti, partim Bononiæ præstolantibus: quorum tamen plerique domum postea redierunt, futuri Pontificis mandatum expectaturi. Imperator vero in Germaniam è Belgio reuersus, Augustæ iterum mense Iulio comitia celebrauit, religionis potissimum constituendæ causā; in quibus præter concilij institutionem procurandam, decretum illud Religionis, quod Interim uocatum sæpe diximus, vehementer urssi, quamuis illud non æque ab omnibus ac-

cepteretur: Prædicantes uero Lutheranos, qui ei se opponerent, solum uertere iussit. (d) Grauius deinde de quorundam ordinum ea re inobedientia conquirenti, responsum fuit, tantam religionis plagam & mutationem quantam vix quisquam meminerit, tam cito sanari non posse, plenisque ad Concilij usque definitionem rem differentibus, cum interim detrectantes alius in mare hæresum & sectarum deuolui se viderent. (e) cū igitur Cæsar Concilij Tridentini restorationem à Julio III. impetrasset, ea res novam Lutheranis anxietatem iniecit, & Melanchthon iussu Mauritij capita doctrinæ concilio offerenda confarcinat. (f)

His in Comitij Mauritius Landgrauium socerum suum, quem Cæsar Mechliniæ relictum, arctius custodiri iusserat, quod fugæ consilium inijsset, tam diu captivū detineri ac circumduri ægerime ferens, per Legatos suos contestatus est, non aliter se Concilium restaurandum Tridenti probare posse, nisi quæ præcedentibus sessionibus in eo determinata sunt, ab initio omnia retractentur: nec Papa aut ipsius delegati ibi præsideant; sed Augustana confessionis theologi non solum audiantur, sed decidendi quoque habeant potestatem. Quæ postulatio nequidem digna visa est ut actis inseratur, cum olim omnes in Concilium consentirent. Instāte itaq; apud Pontificem Cæsare, (g) non multo post Patres Tridenti Iulij III. Pontificis iussu edito 14. Nou. rursus conueniunt. Eo quoque accepta publica fidei, & quæ vellent, vel scripto vel ore, vel publice vel priuatim proponendi potestate, Mauritij Legati & theologi postea profecti sunt: ut & Electoris Brandenburgici, & Ducis Wirtembergici, qui singuli suas Confessiones Fidei ad Concilium miserunt. Mauritius quidem Philippo Melanchthoni id negocij dedit ut librum doctrinæ capita continentem conficeret. Christophorus uero Wirtembergicus, quæ Patri Ulrico successerat, Brentium consimile libellum conscribere iussit. Idem à Theologis Alberti Brandenburgici factū. Sed Ciuitas Argentoratensis, itemque alia Fidei suæ Symbolum eò miserunt. Pleraque istarum Confessionū, diuersas notas & characteres quasi diuersarum religionum præ se-

Pp 3 ferunt,

a Apocal. 5. b Vlenbergius prolixè in Vita Melanchthonis cap. 18. 19 & 20. à pag. 248. ad 30. usque ista omnia fere ex actis & scriptis Lutheranorū recenset. c Oronfrinus, Bzouius in Annal. &c. d Vlenberg. Vit. Melanchthon. cap. 20. pag. 294. e Idem in fine cap. 20. ibid. eadem cap. 20. ibid. g. Bzouius in Annal.

ferunt, ut potius inter se conciliandæ fuerint, quam cum Catholica Ecclesia, siue syncretismum aliquem tentandum ceasset plures, Synodo prius in Saxonia coacta, sed ei cogendæ Melancthon obstitit, probe sciens, quomodo Acephalorum Synodi soleant discordijs maioribus terminari. Quæ composita erat à Melancthone (cui hætenus non minus quam ipsi Euangelio fides tributa fuerat) Tridenti non fuit exhibitæ: eo quod simulato Tridentum itinere iussu Mauritij Norimbergæ substitit, donec ad bellum Mauritius Cæsari inferendum esset paratus: Et quamuis vna omnium Lutheranorum erat petitio, ut scilicet libri isti singulorum Confessionem fidei continentes, publice in Concilio legerentur. Nonnulli tamen Protestantium theologi aliam religionis formulam ab Interimistica haud multum discrepantem, conficiendo (hi qui Dulces seu Molles Confessionistæ postea dicti sunt) his qui Stoici seu Rigidi nominantur confectionis occasionem dederunt, nam vehementer reclamant, & tamquam perfidos eos & abominabiles hæreticos publicis scriptis traduxerunt: quibus elogijs Magdeburgicæ Centuriæ referta sunt. Hoc modo quisque collega & socij ridebat stultitiam, quum interim singuli, ex sui credendi modulo sibi quisque Ecclesiam formam delinearent. Flaccius Illyricus, vnus ex quatuor Magdeburgicarum Centuriarum compilatoribus, Melancthonis discipulus, ne magistro quidem pepercit, quem alibi ait nimia sua facilitate veram religionem in summum discrimen conicere, alibi vero, ac præsertim in Præfatione Quintæ Centuriæ, dolenter admodum deplorat, veram Lutheri, magni illius Germani vati, doctrinam paulatim obscurari, adeoque extinguari.

III. Porro Protestantium ad Concilium Legati, quidam quum Tridentum venissent, & Cæsaris ibi Oratoribus legationis suæ, exhibito diplomate, fidem fecissent, Pontificium adire Legatum iubentur. Tam vero illi etant tenetæ conscientie, ut hoc facere omino recusarent, aientes, si quid cum eo communicassent, id eo pertinere visum iri, quasi cognoscendi eius & auctoritatem præcipuam Pontificis tribuerent, quem Concilij præsidem ac iudicem nequaquam ferre possent. Quinetiam petebant, ut is eodem quo reliqui Episcopi loco haberetur, & iuramentum quo reliqui Episcopi ipsi obstricti erant, eum remitteretur. Mauritius suos quidem theologos ad Concilium se missum pollicitus fuerat, ita tamen ut hætenus acta & decreta retractentur. Idem VVirembergici

Principis erat postulatam. Et vtriusque quidem Legatis priuatim postea in domo Pontificij Legati auditis, grauissimis verbis demonstratum fuit, hanc maculam insigni illi præstantissimorum totius Christianitatis Episcoporum & Theologia Doctorum cætui nequaquam esse inuendendam, ut quæ ab ipsis decreta sunt, in dubium reuocentur. Quod si Theologi ipsorum eo venerint, fidem suam se interponere, fore uti de rebus omnibus audiantur, de securitate recte ipsis caueatur, & actio interea omnis vsque ad ipsorum aduentum intermittatur. Id vero eò factum est, ne vlla Protestantibus Concilij detrectandi, & varias excusationes quarèdi causa daretur. Statim ergo Saluti conductus seu Cautionis formula eis data fuit: qua tamen acquiescere noluerunt, & nouis super additis postulatæ & protestationibus, id Patribus extorquere conabantur, ut suis quoque Theologi decidendi religionis controuersias esset facultas; & ut sacra Scriptura sola esset loco Iudicij. Contra Patres eos rogabant ut ista omnia ad Theologorum vsque aduentum differrent: fore eum ut abunde audiantur; & ad totius Christiane Reipublice commodum ac salutem res exitum habeat. Scripturam quidem normam esse ad quæ omnia dirigi debeant: sed quum ipsa nec linguam nec vocem habeat, Iudicij sane voce & sententia, ut in ceteris legibus, opus esse. Eam vero ab alio quam à Concilio peti non posse, sic tamen ut omnium qui antiquitus reuerunt Ecclesiam, Patrum sententia ea sis conformis. Quæ publicæ fidei formulam seu saluum conductum acceptum, ad Principes suos misissent Legati, iam Mauritanij Theologi, & in his Melancthon, Norimbergam venerant; sed iussi fuerunt expectare quoad vterius de Principis voluntate cognoscerent, longe sanetum alijs consilij quam enodandis religionis controuersis intenti, nempe belli aduersus Cæsarem gerendi, & illo Concilium turbadi. Qui vero Tridenti erant Protestantium Legati, quotidie nouos merus sibi fingebant, quasi Ioannis Hussij & Hieronymi Pragensis exemplo, iam tam carnisfici tradendi essent. Tanta nimirum conscientie vis est.

IV. Tandem quæ hætenus summo studio occultata fuerant Consilia, eruperunt. Mauritius enim, qui ad Cæsarem se venturum receperat, adeoque Oeniponte iam ubi Imperator tum erat, sibi designari curarat hospitia recte qua hætenus simulauerat persona, vulnere quæ cicatricem iam

duxille
h Vlenburg. Vit. Melanct. cap. 21.